



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Provisione Et Obtentione Beneficiorvm

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

108. Ad quæ requirendus & obtinendus consensus patroni.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74485](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74485)

xi debet. Pirh. n. 37. Barb. juris Eccl. l. 3. c. 12. n. 217. citans Abb. in c. nobis. n. 6. Roch. Roland. &c. hæc superfluitas reddituum in Ecclesia detractis expensis necessariis pro servitoribus, & aliis necessariis cultui divino necessariò probanda est. Lott. cit. q. 5. n. 18. citans Abb. in c. nobis. n. 6. Butrio ibid. n. 22. Surd. de alien. tit. 7. q. 32. Porrò hæc alimenta præstanda ex fructibus seu redditibus ecclesiæ, & nequaquam ad ea præstanda vendendam esse proprietatem, tradit Surd. loc. cit. n. 6. apud Barb. loc. cit. n. 219.

6. Illud hinc notandum ex Card. de Luca. in sum. juris patr. n. 137. hujusmodi casus alendorum ab Ecclesia patronorum esse raros in foro & praxi; eò quod frequentius jus patronatus divitum Ecclesiarum, quæ Rectorem suum ac ministros congruè sustentare, ac insuper patrono alimenta præstare valent, ut plurimum esse solet apud Magnates, & potentes, divitesque; in exiguis autem beneficiis à perfontis privata fortunæ fundari solitis rarus sit casus ejusmodi exuberantiæ reddituum Ecclesiæ.

Questio 107. An, & que actio competat tali inopi patrono ad petenda alimenta?

1. Respondeo ad primum: competere ei actionem. Pirh. n. 37. citans Abb. in c. nobis. n. 6. sed latius dictam secundum paulò post dicenda.

2. Respondeo ad secundum: non competere ei actionem ex canone supra citato, sed potius officium judicis (quod est remedium ad instar actionis, & venire potest latà significatione actionis. Lott. cit. q. 5. n. 17. citans Ulpian. in l. actionis. de actione & obligatione & Richar. in rub. in fin. de off. judicis n. 1.) si vè peti nequeunt aliter, quam officio judicis. Paul. de Citad. tr. de jure patr. p. 6. n. 4. n. 8. quem citat & sequitur Lott. n. 10. deficiente enim obligatione deficit actio l. licet. ff. de procur. Jam verò de his alimentis nulla præexistit obligatio, quamvis enim ea debeantur naturali obligatione, id est, antidorali; hæc tamen obligatio est inefficax, & non consideratur tanquam obligatio; sed tanquam ratio quadam sive æquitas naturalis, quæ illud officium judicis promovet. Lott. n. 13. ex Surd. tit. 3. q. 1. n. 10. Nec obstat, quòd, ubi æquitas est à lege approbata, competat conditio ex lege; nam ut respondet Surdus n. 19. apud Lott. n. 15. conditio ex lege tunc datur, quando nulla prorsus suberat obligatio, id est, neque civilis, neque naturalis; adeò ut sit prorsus nova; secus verò ubi præxistebat obligatio naturalis; cum tunc non intelligatur per legem nova aliqua obligatio inducta, sed duntaxat excitatum officium judicis pro urgenda ipsa naturali obligatione; quæ tamen non producat actionem de jure civili, impedit tamen reputationem soluti quasi indebiti. Neque contrarii sunt Lamb. cit. a. 7. n. 6. & Joan. And. in c. nobis. n. 17. cum solum istis locis ostendant differentiam inter pauperes alios, quibus subvenire debet Ecclesia ex superfluis, & pauperes patronos, qui insuper ex officio judicis illa alimenta petere possunt. Ita Lott. n. 17.

Questio 108. Ad qua requirendus & obtinendus consensus patroni?

1. Respond. primò ad alienationem bonorum, seu dotis Ecclesiæ consensus patroni requirendus & adhibendus ex urbanitate & honestate quadam, ut dictum supra, non autem ex necessitate. Lott. l. 1. q. 1. n. 66. contra Rebuff. de alien. rer. Eccl. n. 90. Quamvis autem illius consensus non

P. Leuen. Fori Benef. Tom. II.

sit necessarius ad validitatem actus, potest tamen se patronus semper opponere, ne res Ecclesiæ dissipentur. Lott. ibid. ex Innoc. ad rub. de jure patron. n. 1. & Anchar. conf. 122. n. 5.

2. Secundò ad dismembrationem Ecclesiæ patronata non requiritur, nec curatur consensus patroni. Lott. l. 1. q. 28. n. 23.

3. Tertio: si præbendæ non ab Episcopo, vel capitulo, sed ab alio foundationem acceperunt, supprimi aut diminui non possunt sine patroni consensu, argumento cap. monasterium. 16. q. 7. Lott. l. 2. q. 8. n. 94. Laym. in c. 9. de constitut. citans Abbat. in c. cum accessissent de constit. n. 5. & Jo. And. ibid. n. 19. Si tamen necessitas postulet mutationem aliquam instituire in beneficiis, & patronus requisitus consentire nolit, etiam eo invito diminutio beneficii fieri potest; cum patronus impedire nequeat magnum bonum Ecclesiæ. Laym. ibid. juxta Abb. loc. cit.

4. Quarto: Ecclesiæ alicujus presbyter ob crimen canonicè amotus vel depositus postea restitui nequit ab Ordinario sine consensu patroni seu repugnante patrono; partim quia hæc est potius nova institutio, quam juris pristini restitutio; ideòque quodammodo nova patroni præsentatio necessaria; partim, quia vacante beneficio per depositionem, patrono acquiritur jus alium præsentandi, quod jus invito adimi non debet. Laym. ad c. quamvis. de rescript. n. 3.

5. Ecclesia patronata erigi non potest in collegiatam absque consensu patroni. Lott. loc. cit. nu. 95. citans Jo. And. in c. nobis. h. r. n. 8. Et, si erectio hæc fiat, intactum tamen durat jus patronatus in jure præsentandi ad canonicatus. Lott. n. 96. citans Seraph. decis. 1444. n. 11.

6. Sextò: non potest Episcopus Ecclesiam vel beneficium patronatum concedere in proprietatem per modum incorporationis alteri Ecclesiæ seu beneficio, vel etiam unire, aut ex redditibus Ecclesiæ in alia ecclesia præbendas seu beneficia erigere sine consensu patroni, sive ecclesiastici, sive laici; nec etiam sufficit ad hoc solum consilium patroni; cum id cedat in præjudicium patroni; utpote qui per talem incorporationem aut unionem amittit jus præsentandi. Pirh. loc. cit. n. 122. c. monasterium. 16. q. 7. ubi gl. in c. suggestum. h. r. & ibi Abb. n. 1. Rebuff. in praxi benef. tit. de unionibus. n. 28. Azor. p. 2. l. 6. c. 28. q. 12. Garc. p. 12. c. 2. Laym. theol. moral. l. 4. tr. 2. c. 3. n. 12. coroll. 2. & licet jus patr. non amittat, quòd ad istas præbendas ex redditibus beneficii patronati de novo erectas (potest enim ad illas præsentare) interest tamen patroni, ut redditus beneficii patronati sibi subjeçti non alienentur, uniantur, aut supprimantur: & hinc se opponere potest istis novis erectionibus. Pirh. n. 123. citans Abb. ubi antè num. 3. potest tamen, ut dictum paulò antè, etiam contradicente patrono, Episcopus urgente necessitate talem reddituum translationem facere, quin & ad utilitatem ejusdem Ecclesiæ patronatæ applicare, erigendo v. g. in ea novum beneficium; cum enim jus patr. sit ipsi concessum ab Ecclesia ex gratia, & non ex absoluto debito, non potest impedire, quòd minus subveniatur magnæ illius aut necessitati aut utilitati. Quin & nullum creatur præjudicium patrono; dum jus præsentandi manet ei integrum, & quia tota ordinatio & dispositio circa bona Ecclesiæ non ad patronum, sed episcopum spectat, non debet patronus se immiscere, nisi appareat, jura & bona Ecclesiæ patronatæ alienari, perdi, imminui, vel in alium finem, usum, locum, personam contra in-

E 3

stitu-

stitutionem transferri. Pirh. cit. n. 123. citans Abb. & Laym. ubi ante, Inno. in c. 3. de privileg. n. 3.

7. Septimo: licet, si parochialis Ecclesia unita sit paraturz seu beneficio electivo, in institutione vicarii requirendus non sit consensus patroni; quia is per unionem, saltem si cum ejus consensu facta fuit, censetur amisisse jus presentandi, nisi specialiter id sibi reservarit; Laym. in c. ad hoc, de offic. Vicarii n. 3. Dum tamen propter amplitudinem parochiaz constituta fuit Capella vel Ecclesia filialis principaliori seu matri subjecta, ita ut in ea vicarius à principali rectore cum consensu Episcopi ponendus sit, patroni requiritur consensus, vel potius à patrono & rectore simul presentari debet dictus vicarius; cum patrono competat presentare ad titulum parochiaz à se fundata, dotata, &c. Vicarius autem in parochia in perpetuum constitutus acquirit titulum canonicum, saltem utilem; cum directus titulus sit penes rectorem principalem; ita ibid. Laym. citans Innoc. Alan. &c. in cit. c. ad hoc. Lap. & Zabarell. in clem. unic. de offic. vicarii, contra gl. in c. ad hoc.

Questio 109. Qualiter vacante beneficio juris patronatus, patronus vocandus, ejusque voluntas exquirenda ante provisionem, & quid de hoc statuerint jurat.

1. Respondeo primo: dum beneficium tale vacat per obitum aut per modum alium involuntarium, liberè & independentè à voluntate patroni, conferre illud nequit Episcopus, seu ordinarius collator; quòd si spretò patrono (spèrni autem is dicitur, dum, cum possit commode vocari, non fuit vocatus, vel vocatus non fuit expectatus, vel præsens fuit repulsus, vel non auditus. Lott. l. 2. q. 14. n. 62. juxta Hugon. Archid. Bellam, Turrec. in c. decernimus, paulò post citandum) Rectorem in Ecclesia ordinare præsumperit, illius ordinatio irrita erit, & ad verecundiam talis Episcopi alius ordinandus, quem fundator seu patronus elegerit; ita expressè statuitur c. decernimus. 16. q. 7. & hunc canonem esse lata sententia, non verò ferendam, ita, ut ipso jure talis collatio seu ordinatio sit irrita, fusc ostendit Lott. loc. cit. n. 50. Dato enim hujusmodi temerario contemptu & vilipendio personæ & juris alterius (quod importat vox illa, spretò, juxta l. litigatores. ff. de recept. arb. Lott. n. 54.) merito actus declaratur irritus à principio; cum nequeat esse de ratione legis, ut sustineat actum injurium, & contumeliosum, vel per momentum in statu validitatis; cum id repugnet juris principiis. l. justitia. ff. de jure & just. Lott. d. n. 57. Quòd si tamen ordinarius collator providerit de tali beneficio nullo opponente vacationis valere talem provisionem, cum nulla lex eam irritet ipso jure, nec urgeat amplius ratio citati canonis (cessat enim spretus, etiam in Episcopo habente scientiam juris patronatus; dum nemo se opponit vacationi) censet Lott. d. n. 63. eò quòd censetur facta talis provisio sub ea conditione; si patrono placuerit. Lott. n. 65. ex l. 1. q. 34. n. 62.

2. Respondeo secundo: ad casum, dum beneficium vacat per resignationem, licet beneficium juris patronatus sit ex natura sua resignabile, non vocato patrono. Lott. cit. q. 14. n. 66. ex Calderin. consuls. de renunc. & Moheda de jure patr. decis. 6. n. 1. resignationem tamen conferibile non est sine consensu patroni. Lott. n. 66. Hinc quidem facta resignatione non simpliciter, sed ad favorem coram ordinario (uti id fieri potest juxta c. unic. de rer. permutat. in 6.) permutationis gratia, dum patronus non repugnat, seu

non reclamatur, resignatio & permutatio erit valida, ex quo semper est ratificabilis, adeòque tenet merito jure. Lott. n. 71. & 72. dicens esse sententiam verissimam, citansque pro ea Fed. de Senis tr. de permut. beneficiorum. q. 30. tr. 52. Felin. in tr. quando sit. apostolica pre judic. patrono. ampliatione 9. n. 15. & plures Rot. decis. citatus enim canon. decernimus; provisionem talem non vitiat ipso jure, nisi supposito contemptu & spretu; & quòd patronus ejus causam profequatur; sed neque negat spretum aut contemptum illum esse remissibilem & actum ratificabilem, ut ex tunc convalescat, fiatque retractio ad principium, pro quo satis est, non fuisse submoram spem ratificationis. Lott. n. 72. & 73. Reclamante verò patrono resignatio ex causa permutationis facta coram ordinario ipso jure erit nulla, nisi resignans ignorarint patronatum. Lott. n. 76. n. 4. Idque procedit, etiam si expressissent beneficium esse juris patr. ut enim id expresserunt apud Ordinarium, & in hoc aliud considerari nequit, quàm contemptus patroni; cum Ordinarius derogare nequeat juri patronatus. Adeòque adhuc talis resignatio nulla. Lott. n. 78. citans Calderin. aut expresserunt hoc apud Papam, & nisi is derogat juri patronatus; irrita adhuc est provisio ex defectu voluntatis; cum ioreligatur facta sub conditione; si accedat consensus patroni. Lott. n. 79. citans Decium. Neque enim hoc ipso per Papam censetur derogatum juri patroni, ut censet Lamb. quòd de ea facta sit mentio apud illum. Lott. n. 83. Atque in hoc casu, dum resignatio talis est nulla ipso jure ob contemptum patroni, resignans non revertitur ad beneficium resignatum, sed poterit patronus liberè alium presentare instituendum in penam ingratitudinis resignantis, sive permutantis. Lott. n. 84. citans Gemiu. in c. nemo deinceps. de elect. in 6. n. 11. Si autem non est ipso jure irrita, sed venit annullanda, quia resignans vel permutans ignoravit patronatum, seu quia in genere non potest illi adscribi ingratitudo, cassata resignatione, poterit resignans reverti ad suum beneficium. Lott. n. 85. citans Butrio in cit. c. nemo deinceps. n. 10.

3. Respondeo tertio: sed neque Ordinarius collector cogere potest patronum ad non reclamandum seu ad consentiendum. Calderin. cons. 2. de rer. perm. apud Lott. n. 67.

Questio 110. qua pena statuta gravantibus patronos ob certam personam non presentatam.

Respondeo: excommunicationis sententiam ipso facto incurrunr, quicumque clericos aliaque personas Ecclesiasticas (sunt enim aliqua personæ Ecclesiasticæ absque eo, quòd sint clerici v. g. moniales, religiosi conversi, religiosi militares, hospitalarii. Laym. ad c. sciant. de elect. in 6. n. 2.) ad quas spectat nominatio, institutio, presentatio, confirmatio, eorumque consanguineos (intellige usque ad quartum gradum. Laym. ibid. num. 5. non tamen comprehendendo hoc nomine eorum affines, vel personas eis familiariter conjunctas. Laym. ibid. nisi fortè ut Suar. de cens. d. 23. f. 4. n. 4. eodem modo conjunctæ essent, ut injuria ipsis illata derivetur atque extendatur ad personam ecclesiasticam) in beneficiis aut quibusvis bonis injustè gravare (qualiter injustè gravari non censentur, dum ob eam causam consuetam aliis eis dari elemosyna, eis subtraheretur. Laym. ibid. n. 1. citans Nav. in manual. c. 27. num. 122.) præsumperint per se vel per alios, spoliando,